Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31243
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

possent membrorum compagem. ad cuius lectulum genouefa parentum precibus exorata per-
ducitur. Que oratione facta dum singulos puelle artus manus uisitatione contrec-
tat. electo quo decumbebat exsurgere et calciare ilico ipsam se posse fecit. ipsa prius
manibus et uestiri. consecutam ad ecclesiam ire iussit in colomen. Quod cum uidisset ciuitatis illius
turba. uehementer attonita precipue eam ueneratione suspexit. laudes referens omni-
potenti deo qui tantam gratiam diligentibus se dignetur impendere. De portis absque claue reseratis
Wildericus rex francorum cum non fuerit christianus. grandi eam ueneratione suspexit.
Nam quadam uice cum aliquos capitalium reos pertinaciter ius decreuisse occidere.
ne sancte genouefe precibus possint liberari. exiens de ciuitate iussit portas ciui-
tatis clauibus obserari. At ubi genouefe nunciatum est. quod rex ad eos occidendos
fuisset foras egressus. protinus ut precibus regem precaretur festina perrexit. Aduenienti quoque por-
tis fuerant obserate statim stupefactis custodibus quasi quodam iubentis imperio et
obtemperamentis obsequio reserate. sic ad regem perueniens. ne uincti capitibus
truncarentur obtinuit. et iam iamque perituri ab imminentis mortis periculo sunt liberati.
Fuit quidam uir sanctus in orientalibus partibus contemptor seculi nomine symeon De sancto Symeone
quadraginta fere annos in columna eminus ab antiochia constitutus. Hic per nego-
tiatores ad loca ista germanie mercandi gratia sepius uenientes sancte genouefe
salutationes cum plurima ueneratione mittebat et ut pro se dominum exoraret sedu-
lo precabatur. Quanta namque fideles dei famuli gratie locupletatione ditantur. ut quos
a cognitione mutua prouinciarum situs et spacia longinqua discriminant. eos diuina
prouidentia interiori quodam mentis aspectu inuicem se nosse faciat. De puella nomine cilinia
Adolescentula quedam et ualde iam nobilis nomine cilinia. cuidam etiam puero
sponsaliorum obligatione pollicita. petiit ad sanctam genouefam ut sibi religiosi
habitus indumenta mutaret maritali copule et secularis pompe religionis decus
et uirginitatis ornamenta preficiens. Quod cum permobilis fame flatus ad sponsi
peruolasset auditus. protinus furoris parit et amoris inflammatione permotus mel-
dis ut sponse sue iungeretur aduenit. Comperto quoque adolescentis aduentu. sancta ge-
nouefa una cum cilinia ad ecclesiam properare tetenderunt. Quibus accurrentibus
ecclesie partim interiora baptisterii limina. reseratis ultro clauibus mirabili ad-
miratione patuerunt. sicque puella mundi huius naufragia perseuerantia uirgi-
nitatis euicit. Quodam iterum tempore accidit ut parisius ei duodecim simul ani-
me que grauiter a demonio uexabantur. pariter offerentur. Cumque emunda-
tione eorum in faciem dei ut sibi auxilium e celo concederetur implorans deprecata
esset. protinus energumini ad camaram usque prosiliunt. Latenti quodam intrinsecus
igne succensi et intuentium metus in aeris uacuum pondus corporum absentibus
uinculis teneretur appensum et nunc uociferantes quadam uinculorum mole cur-
uati. in modum cuiusdam uoluminis implicantur adstricti nunc iterum resupini auram